



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Launomarus Abb. 19. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

acceptum fide minimè germanâ hospitem domo exigere. Hic LEOBARDVS, dum noctem sub diō agit, cælumque ad faces suas contemplatur, Certè inquit, hoc non excludet, nisi aditum ipse mihi interclusero. Et quousque demum servitutem mundo ingrato hanc serviam? nunquid non mors ipsa parentum ad pileum vocat? nolentes mundo mortui mori me volentem docent. At innumeratas opes numero, nempe quas pater heri, ego hodie, cras alius numerabit. Sponsa mihi est. Mater scilicet bella mihi, & lites pariet. Et ubi tunc castissimi nunc animi lilia? morientur hæc; & ego Superistam nobilem odorem invidebo? Ergo tibi hunc mentis candorem, ô cælum, tu verò terra, res tuas tibi habe. Exulabis & tu animo nostro. Irasceris? prior exclusisti. Hæc secum LEOBARDVS, mox recta Asceterium; ibi ipsos duos & viginti annos angustiis cellæ inclusus aditum ad se mundo vicissim negavit, neque tamen vel talis sine prole in cælos abiit. Reliquit post se virtutem nobilem filiam & vobis, Sodales Parthenii, locandam. Cur abnuitis pauperē ducere? dabit cælū dotē. Ex Sur.

Non in nobis flamma libidinis astuet, non turpis cogitatio pulchram animæ nostræ coram D E O speciem jædet. Non nos terrene facultatis abundantia in superbiam erigat, non tenacitas misericordie viscera pauperibus claudat: Vigeat in nobis perpetua castitas. S.Pet.Dam. serm.65.

S. LAUNOMARUS ABB. 19.Ianuarii.

E Galliā est hoc lilyum, quod manu tenes. Multa inde in rosaria Mariana transferemus; interea isto oculos oblecta. Nascitur ergo LAVNOMARVS anno post natum Servatorem vigesimo supra

19.Ian. VITÆ SANCTORVM. 45
supra quingentesimum. Puer genium suum defraudat, ut inopum ditet. Hinc Sacerdos ex Sacerdote nobilis eremi cultor cœnobium exædificat, & silvas facit habitari. In his feræ à lupis agitatæ asylon sinum pandit, verissima aurei seculi ovis. Inde optimus orator oratione suâ suadet arbori ingenti, aliò ut migret, & persuadet. Depopulantem porrò omnia flammā uno Crucis signo exarmat: ægris sanitatem pristinam plurimis impertit. Sed non perinde avaro nescio cui facere medicinam placuit. Fuit hic oppidò dives, sed letho proximus rectè pauper sibi videbatur. Mittit itaque XL. aureos LAVNOMARO, sive ut DEVUM sibi per hunc propitium redderet, sive ut fortè sic mortem auro corrumperet. At verò LAVNOMARVS ad severum in arâ examen singulos expendere, & unico duntaxat servato, alios omnes remittere, gravi additâ denuntiatione, quâ & expostulabat, quòd furtum munus Deo obtruderet, & simul mortem indicebat. Et verò non huic tantum, sed universæ Galliæ vastitatem clademque vaticinatus est; ipse tamen ne hanc videret, morte oculos clausit. Ex Surio.

Homo, mitte & præmitte thesaurum tuum in cælos, ne cælestem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ; anima ab excelsis cæli. melius proinde est, ad sedem suam deferri aurum, quam in sepulchro auri Anima demergatur. S.Pet.Chrys.serm.22.

S. ABUNDANTIA VIRG. 19.Ianuarii.

Satis laudasse ABUNDANTIAM videri possem, si illud modò dicerem, & natam & mortuam laudatam ultrò ab ære campano fuisse. Adjiciam tamen alia pluscula. Cùm sacro fonte tingeretur, dicuntur